



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Œcumenica Cathedræ Apostolicæ Avthoritas**

**Reding, Augustin**

**[Ort nicht ermittelt], Anno M.DC.LXXXIX.**

§. V. Corollarium finale præsentis promæ disquisitionis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38717**

tem protensa authoritati Apostolica, eo ipso, quod nulla sub statu omnimodae moralitatis ad supernaturalem quamquam participationem elevata, sit intelligibilis humana libera actio, qua non involvat aliquam respectu salutis eternæ, ac publica etiam Religionis, sanctaque Ecclesie Boni communis vel ordinabilitatem, vel ab hac deficiantem moralē, quam in hominibus Christi charactere insignitis subdi Ecclesia clavibus, indefinita que ad solvendum & ligandum potestati Apostolica, multimodè patet ex antecedentibus.

## S. V.

Corollarium finale præsentis  
Prima Disquisitionis.

**III.** *Insetur I.* Qualiter verificetur illa propositio, quā dicitur, Christi Vicarius Romanus Pontifex debere contentus esse clavis Regni cœlestis. Etenim cuiuscunque potentia seu potestatis duplex noscitur esse objectum; formale scilicet ac specificativum, & materiale seu terminativum. Oecumenica igitur Pontificia, ac Ecclesiastica potestatis objectum formale ac specificativum importat quidem ordinem ad Regnum Cœlorum, sicutque adeo spiritualia, per se habentia talem respectu Regni cœlestis ordinabilitatem, per se primò subduntur Ecclesia clavibus, seu Ecclesiastica potestatis regimini & autoritati; quidquid tamen participat de tali ordinabilitate, est hoc ipso de ejus Apostolica potestatis objecto materiali, atque adeo non per se primò; sed vel per accidentem, vel secundariò sub ejus formalitatis participatione, subiectior sanctæ Ecclesie clavibus, earumque Oecumenica potestati. At vero quidquid moralitatis est in hominibus Christianis, eorumque actibus & negotijs, seu causis quibuscunque, etiam civilibus, est vel ordinabile in Regnum Cœlorum, vel ab hac ordinabilitate est deficiens. Sub tali ergo moralitatis, ipsiusmet etiam Regia potestatis exercitio convenientis, seu debita ad certum subiectum applicationi, ejusque regimini, de se licet politico, inexistentis, ad Regnum Cœlestis, tum triumphantis Ecclesie, salutem nimurum eternam pro cunctis Christianis à Deo destinatam, tum militantis Ecclesie bonum publicum ordinabilitate, quævis causa civiles & temporales, etiam publica ac Regales, subeunt rationem objecti materialis respectu Apostolicae Oecumenicae potestatis.

**II.** *Insetur 2.* Sub illâ formalis & materialis objecti, potestatis Ecclesiastica seu specificativa, seu terminativa distinctione, ac descriptione facile intelligi, quomodo Oecumenica Petri, ejusq; successorum auctoritas, duplice potestate gladio; altero super res spiritualia; & quidem primò & per se; altero super temporalia, sed quasi per accidentem, seu indirectè, ac consequenter in se secundariò le protendente. Etenim Author Regalis Sacerdotis pres. lib. 1. §. 2. n. 8. recte ait, super Christi, ad discipulorum verbum: Ecce duo gladii hic; responso, Luke 22. prolatu, satis est, varias equidem SS. Patrum tum mysticas, tum litterales adhiberi expo-

sitiones, inter quas tamen sit præcipua: Voluisse Christum duplice gladio duplitem potestatem exprimere Petro commissam: Spiritualē videlicet & temporalem: istam verò jussisse in viginam recondi, hoc est, non manu, sed natu & præcepto Apostolicae Oecumenicae authoritatis, nec vindicta, sed necessitatis causâ exercendam, prout S. Bernardus lib. 4. de confid. ad Eugenium. S. Anselmus in Matthæum cap. 27. Bonifacius VIII. in Extravagante. Vnam sanctam. De Majorit. & obedientiâ. Abbas in Cap. Novit. De judicij. doceant. Quibus adstipulando, Cornelius à Lapide in cap. 26. Matthæi n. 5. inquit: Allegoricè verba illa interpretantes, passim per duos gladios accipere duplē Ecclesiæ potestatem, spiritualē, videlicet & temporalem.

Quod ulterius firmatur sequenti argumentatione Theologica, ex duobus nempe omnino certis, altero fidei, altero lumine naturæ nota, principijs deducâ. Etenim lumine naturæ notum est, cuiusvis potentia, seu potestatis sphæram extendi super omne id, quod ita comparatur ad ipsius formale specificativum, ut propterea respectu illius, superinduit rationem objecti materialis. At ex fidei veritate compertum est, Oecumenica Petro commissâ clavium potestatis proprium & formale specificativum esse ordinabilitatem ad Regnum Cœlorum, juxta apertum Christi Domini verbum. Quidquid ergo superinduit istam respectu Regni Cœlorum ordinabilitatem, ita supervestitur formale specificativum Oecumenicae Petro commissâ clavium potestatis, ut consequenter ad istam te habeat per modum objecti materialis & terminativi. At quidquid in homine Christiano est morale, secundum fidei principia, vel positivè, vel privativè participat de formalitate ordinabilitatis ad Regnum Cœlorum. Ergo quidquid in homine Christiano est morale, per modum participationis, vel per modum privativæ oppositionis, ita superinduit formalitatem Oecumenicae Petro commissâ Clavium potestatis specificativam, ut consequenter sit de ejus objecto materiali ac terminativa. At vero ipsius etiam Regia potestatis ad certum subiectum æquitatè consona applicabilitas, una cum universo regimine ac exercitio libero ejusdem Regia authoritatis, secundum fidei principia superinduit de moralitate, vel ordinabilitatis ad Regnum Cœlorum, atque salutem eternam, nec non publicum Ecclesia sanctæ Bonum, sanctæque Religionis universale utilitatem, vel ab istâ deficiendo, importat deordinationem saluti eternæ, atque Religionis Bono moraliter oppositam & repugnantem. Ergo principia lumine naturæ conspicua combinando cum fidei principijs, per consequiam verè Theologicam rectè inferatur, Regiam quoque potestatem, cum sui ad certum subiectum applicabilitate, nec non publico etiam exercitio; superinduendo moralitatem in Regnum Cœlorum ordinabilem, vel ab hoc ordine deficiensem, ita supervestiri Oecumenica Petro commissâ Clavium potestatis formale specificativum, ut consequenter sit de illius objecto materiali: sicutque adeo unam (de se licet simplicem) Oecumenicam Summi Pontificis authoritatem virtualiter continere duplē.